



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

Caput 11.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

plumbeis, quod puer pro solidis secum portaret comperto iam Childericum CONSTANTINO POLI esse cum legatis Egidij puer aggreditur his verbis instructus, vt legatos præcederet, & Childerico protinus nunciaret, priusquam legati in conspectum Imperatoris venirent, quod Egidius qui tributa publicis ærarijs soluere debebat tributa Imperatoris soluenda quæreret. Quod cū Childericus Mauritio imperatori annuñciasset; repletus & indignatione; cum legatis Egidij ei præsentati fuissent, his verbis suggerentes; iubet eos recludi in carcerem. Dixitq; Childericus ad Mauritium imperat. Iube me seruum tuum ire in Gallias: ego furorem indignationis tuæ super Egidio vlciscor. Multis muneribus à Mauritio Childericus ditatus, euectu nauali reuertitur in Gallias. Quem cum V Vinomadus nunciante puero comperisset, castro Barro ad ipsum venit, & à Barrésibus receptus est. Eorum omnes redditus publicos pro initio receptionis consilio V Vinomadi benigne cōcessit. Deinde ab omnibus Francis resublimatur in regno: multaq; prælia cum Egidio egit, plures strages ab ipso factæ sunt in Romanis.

**B**ASINA, quæ Bisinum regem in Thoringia conjugem habebat cum audisset Childericum à Francis in regno sublimatum, cursu veloci relinquens Bisinum ad Childericum transijt, qui cū eam solerter interrogaret, qua de causa ad eum de tam longinqua regione venisset, respondisse fertur, noui, inquit vilitatem tuam, quod sis valde strenuus, ideòq; veni vt habitem tecū. Si vtiliorem sub cælo sciuissem, eum expetissem. Quæ Childericus gaudēs & diligens eiusdem pulchritudinem in coniugio copulauit. Cum prima nocte iugiter stratum

Qqqq. 2

iunxissent

Caput II.

iunxissent, dicit ad eum mulier, Hac nocte à coitu virili abstinemus. Surge secretius, & quod videris ante aulas palatij, dices ancillæ tuæ. Cumq; surrexisset, vidit similitudinem bestiarum, leonis, vnicornis, & leopardi ambulantium, reuersusq; dixit mulieri quæ viderat. Dixit ad eum mulier, Domine mi vade deuo; & quod videris, narra ancillæ tuæ. Ille vero cum foris exisset, vidit bestias ad similitudinem vrsi & lupi deambulantes. Narrans & hæc mulieri. Compellit eum tertio vt iret, & quod videret nunciaret. Cumq; tertio exisset, vidit bestias minores, similitudine canis; & minores bestias ad inuicem detrahentes & volutantes. Cumq; Basina hæc vniuersa narrasset, abstinens se castè vsq; in crastinum, surgentes de stratu, Dixit Basina ad Childericum, quæ visibilibus interpretationem habent, Nascetur nobis fili<sup>9</sup> fortitudine leonis signum ad instar tenens: filij eius leopardus & vnicornis fortitudine signum tenent. Deinde generatur ex illis qui vrsis & lupis fortitudine & voracitate eorū simulabant. Tertio quæ vidisti ad discessum columnæ regni huius erunt: qui regnabunt ad instar canibus & minoribus bestijs eorum confimiliserit fortitudo. pluralitas autem minorum bestiarum, quæ ad inuicem detrahentes volutabant, populus sine timore principum ab inuicem vastantur. Conceptit Basina & peperit filium nomine Chlodouicum. Hic fuit magnus & pugnator egregius ad instar leonis fortissimus cæteris regibus. Childericus cum \* Odoacro Rege Saxonum Aurelianis pugnans Andegauum victor perrexit. Mortuo Ægidio reliquit filium nomine Siagrium. Eodem tempore Brittones de Beterica à Gothis expulsi. Multi apud \* Dolensem perempti sunt. Paulus Comes cum Romanis & Francis bellum Gothis intulit, & prædas egit. Childericus Odoacro superato Pau-

† al. Odoacro.

† al. Tolosam  
Greg. 2. cap. 19

to Paulū comitem interfecit, Andagauum obtinuit. His actis inter Saxones & Romanos bellū gestum est. Saxones terga vertentes multis ex eis extinctis, insulā eorum cum multo populo interempto à Francis captā atque subuersę sunt.

**I**psō anno terrę motus fuit. Eoricus Gothorum rex xiv. regni sui anno basilicam sancti Iuliani \* Briuatis, columnis ornatam mirifice construxit. Caput 14. aliter Greg. cap. 20.

Regnans Eoricus annis xx.

In Burgundia nimia famis oppressio aduenit. Cumque populus à fame in diuersas regiones dispergeretur, nec esset qui alimoniam præberet, Æditius quidam ex senatoribus magnam tunc rem in Deo fecisse perhibetur. Misit pueros suos cū equitib⁹ & plaustris p̄ vicinas sibi ciuitates vt eos qui inopia vexabantur, sibi adducerent cunctos pauperes, quos inuenire potuerunt, adduxerunt ad domum eius: ibiq; eos tempore sterilitatis pascens à fame liberauit. Fuerunt plusquam quatuor millia, quos aluit vsque tempore vbertatis. Post quorum discessum vox è cælis lapsa peruenit, dicens, Æditi, quia fecisti rem hanc, semen tuum pane non indigebit in æternum. Æditius mirę felicitatis fuit: pluribus vicibus multitudinem Gothorum cum paucis in fugam conuertit. Euarix rex Gothorum, excedens Hispanum limitem, grauem in Galliis intulit persecutionem. Aimois, lib. 1. c. 13. & Greg. li. 2. cap. 24.

**D**efuncto Childerico Chlodoueus eiusdem filius regnauit pro eo. Anno autem quinto regni sui, Siagrius Romanorum Patricius apud ciuitatem Sanctonas, quam quondam pater suus tenuerat, sedem habebat. Quem Chlodoueus cum Regnachario irruens Caput 15.

Q999 3

irruens